



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis**

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum  
Qvae Historiam Complectitur vniuersæ Paßionis Dominicæ

**Puente, Luis de la**

**Coloniae, 1614**

Med. 18. De sermone Christi post Cœnam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54653)

## MEDITATIO XVIII.

DE SERMONE CHRISTI,  
ad suos discipulos post cenam  
habito.

INITA cœna, habuit Chri-  
stus Dominus noster, ad suos  
Apostolos, piissimum & al-  
tissimum sermonem, in quo  
mirè exercuit tria sua præ-  
cipua munia, Magistri scilicet,  
Consolatoris & Patroni, siue Aduocati.  
Ut Magister, exhortatus est illos ad heroicis  
virtutis actus, ut Consolator, multa illis magna  
consolationis promissit; ut Patronus, orauit æter-  
num Patrem pro illis, sicut in hac & sequenti  
meditationibus distinctè considerabitur.

## PUNCTVM I.

INCIPIENS ab amore Dei, quod est primū I.  
& supremum mandatum, exhortatus est De amore  
Christus Apostolos suos, ut ipsum amarēt, Dei.  
aliquot efficacibus rationibus ad persuaden-  
dum allatis dicens, sicut a dilexit me Pater, & a Ioan. 15. 9.  
ego dilexi vos, manete in dilectione mea, atque  
si diceret: amor meus erga vos, non qualiscun-  
que est & vulgaris; sed sicut amor Patris mei  
erga me; quo plurima dona, quæ mihi Pater



contulit, vobis ego communicavi, ideoq; vos hortor, vt *maneatis in dilectione mea*, studétes, quod in vobis est, hunc meum amorem in vobis conseruare; ne culpa vestra, vos amore defina: studétes quoq; amare me, sicut ego vos amo: amor enim non nisi amore simili compensatur; ipse enim amor permouet, vt ametur. O amor dulcissime, quibus verbis declarare, & exaggerare magis potuisti amoris tui erga nos magnitudinē, q̄ illis: *sicut dilexit me Pater, ita dilexi vos?* quibus itē efficacioribus rationibus ad te diligendū permouere nos poteras q̄ allata magnitudine tui in nos amoris! Utinam simili amore te diligerem, si quidem tali diligi cupis.

## II.

De obedientia diuinorum mandatorum.

b. i. i. 14.

15. 21. 23.

DIXIT deinde, amorē hunc præcipue ostendi in obedientia & obseruantia mandatorum ipsius, adductis ad id etiam magnis rationibus dixit itaq; *sibi diligitis me, mandata mea seruate, qui habet mandata mea & seruat ea, ille est qui diligit me: qui autem diligit me, diligitur a Patre meo. & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* His verbis nos docet, verum Dei amorem, nec otiosum esse, nec pro libitu suo, quæ velit, facere; sed contendere vt voluntatem Dei exsequatur in quo tria magna bona continentur. Primum quod diligenter ab æterno Patre, singularibus amoris iudiciis. Quod si tanti sit, diligere & charum esse Regibus terrenis, quanti par est æstimare à cælesti Rege diligi, charumque illi esse.



esse? nihil enim deesse illi potest, qui tali Regi placet & charus est. *Secundum*, quod Pater & Filius & (quod est consequens) Spiritus S. *ad eum venient, mansionemq;* in anima eius *faciēt*, eam dirigentes, ei indulgentes, & adiuuantes, singularemque eius curam gerentes. *Tertium* est, quod Christus Dominus manifestabit ei seipsum, tum in hac vita clarissimo fidei lumine, & gratia contemplationis; tum in futura, beatifica visione qua Deus clarè videtur. O felices eos, qui amant Christum, eius implentes mandata ex quo aded ingentia bona illis proveniunt. Dilige, anima mea, obediēdo; & obediās diligendo; vt hac charitatis obedientia, te ipsam ita purifices, vt videas quem diligis, eiusq; aspectu fruaris per sæcula, Amen.

## III.

TERTIO seipsum posuit eorum, quæ dixit exemplar, dicens; *si cprcepta mea serua-* c 104.15.19.  
*ueritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego Patris mei praecepta seruaui, & manso in eius dilectione.* Tam in amore eius ad me, quam mei ad ipsum: Custodia itaq; mandatorum Dei conseruat nos tam in dilectione, qua nos illum diligimus, quam qua ille nos diligit; idq; ad imitationem Christi Domini, aspicientes, quoniam is hæc patris mandata seruaui, vita sua, vt ea exsequeretur, impensa. O dilecte mi, ita ego Patris tui voluntatem cupio exsequi, sicut tu fuisti exsecutus, eum diligendo, sicut tu dilexisti; vt ab eo diligar, sicut tu fuisti dilectus: *diligā te, sicut diligor à te.* Et siquidē iubes vt te diligā: da mihi q; iubes; vt te diligā, sicut vis.



## PUNCTVM II.

De amore  
inter nos  
mutuo.

I.

d. Ios. 13. 34.

**P**RÆCEPTO amoris Dei coniunctum est præceptum amoris proximi, ad quem etiam exhortatus est Christus suos Apostolos, ter in hoc sermone: & quidem verbis grauissimis & efficacissimis.

PRIMUM dixit: *mandatum a nouum do-  
bis vt diligatis inuicem sicut dilexi vos vt & vos  
diligatis inuicē. In hoc cognoscent omnes, quia  
discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad  
inuicem.* Nouam appellat hoc mandatū; quia  
ipse illud renouauit, & collapsum ad perfe-  
ctionem erexit, & posuit tanquam fundamen-  
tum legis nouæ, quæ tota est lex amoris, per  
quem similes efficiuntur Adamo nouo, & reno-  
uamur spiritu, & obtinemus nouam dignita-  
tem filiorum Dei per adoptionem Christi, &  
quia nouum amoris exemplar, seipsum nobis  
exhibuit. Præceptum antiquum ita habebat:  
*diliges proximum sicut teipsum:* nouum autem  
hoc mandatū dicit, vt diligamus, *sicut Christus  
dilexit nos*, ea videlicet puritate, eo seruiore,  
eaq; intentione, qua ipse nos dilexit, optantes  
& procurantes nostris proximis bona, præci-  
puè spiritualia, etiam cū iactura commodita-  
tum nostrarum temporalium. Quod verò dile-  
ctionem hac magnificiamus, ait, in ea sita esse  
insignia discipulorum eius, quibus omnes co-  
gnoscantur ipsius esse discipuli: quasi illis di-  
ceret: *Mosi discipulos cognosci ex obseruantiis*

C. 2.



ceremoniarum legis; Sancti Ioannis Baptistæ  
discipulos, ex ieiunijs & asperitatibus corpo-  
ris; Phariseorum discipulos, ex habitu & ce-  
remoniis externis; discipulos Philosophorum  
ex acutis sententiis: at scholæ meæ discipulos,  
ex dilectione ad inuicē cognosci. Licet enim,  
hæc dilectionis insignia certissima sunt, quæ  
alia quoque sint insignia, utpotè Fides, Pro-  
pheta, Miracula, & similia opera gloriosa, sed  
in omnibus meis discipulis esse possunt, & si-  
ne quibus reliqua essent imperfecta. Et pro-  
pterea dixit Sapiens: *b Filij sapientia, Eccle-  
sa istorum, & natio illorum obedientia, & di-  
lectio.* Nam ut nationes mundi cognoscun-  
tur ex idiomate, aut habitu, aut legibus, aut  
aliis similibus signis externis, ita natio filio-  
rum sapientiæ incarnatæ, qui est Christus Do-  
minus, agnoscitur ex obedientia & dilectione.  
tam Dei quam inuicem. O Magister dulcissi-  
me appone mihi signum eorum, qui scholam  
tuam frequentant, quo non solum ego discipu-  
lus tuus esse agnoscar; sed tu quoque glorifi-  
ceris: siquidem virtus discipuli, cedit in Magi-  
stri gloriam.

b Eccl. 3. 1.

SECUNDÒ dixit: *c hoc est preceptum meū,  
ut diligatis inuicem, si ut dilexi vos: maiorem  
hæc dilectionem nemo habet, ut animam suam  
ponat quæ pro amicis suis.* Quibus verbis, quod  
nouum amoris mandatum aliàs appellauerat,  
nunc suum appellat: nam, etsi reliqua etiam  
sint ipsius, hoc tamen est tale eminentior: nam  
ipsum est eò quòd legem suam super illud sua-

II.

c Ioan. 15.

12.

O 5

det,



der, ipſius eſt, quia in eius perfectiſſima obſer-  
 uantia exultat; & quia præ aliis illud æſtimat,  
 & per illud homines facit ſuos, filios ſuos, ami-  
 cos ſuos, & ſeruos fideles, eodem rex ſuas pro-  
 prias illis tradit, gratiam videlicet, hæredita-  
 tem glorię. & ſeipſum ita dat, vt ſe faciat ipſo-  
 rum proprium: ac denique eſt præceptum ip-  
 ſius, quia ipſemet facit ſe huius amoris exem-  
 plar, cuius ſumma perfectio eſt, vitam ſuam,  
 vbi fuerit opus, pro amicis ſuis ponere. O, a-  
 mator infinite, qui tuam vitam pro omnibus  
 dedisti, quia dilexiſti omnes; & quamuis tui  
 erant *d inimici*, eam tamen pro illis tradi diſti,  
 vt tuos faceres amicos; da mihi quaſo, adeo  
 perfectum amorem, atque iſte eſt; neque enim  
 par eſt, me vitam meã vilem aded & miſeram  
 pluris facere, quã tu feceris tuam, adeo pre-  
 tioſam & admirandam.

d Rom. 5. 10.

### III.

e Ioan. 15. 17

f Rom. 13. 10

TERTIO illis dixit: *e hac mando vobis, vt di-  
 ligatis inuicem.* Quibus verbis aperte ſignifi-  
 cat omnia, quæ in lege ſua ipſe mandauit, &  
 reliqua omnia præcepta, hoc vno *Amoris* con-  
 tineri, & propterea dixit: *hac mando vobis, vt  
 diligatis inuicem;* ſi enim vos dilexeritis, reli-  
 qua omnia impleueritis. Nam *ſ plenitudo legis  
 eſt dilectio.* Ter repetit hoc præceptum, vt al-  
 tius cordi illorum infigeretur: ſemper autem  
 illud vocauit præceptum; qua tamen voce non  
 eſt vſus, cum commendaret, vt ipſum dilige-  
 rent; atq; ſi illis diceret, vt me diligatis, non eſt  
 neceſſe dicere, hoc eſſe præceptum meum, aut  
 hoc vobis mandare; amor enim meus erga vos,  
 & be



& beneficia à me accepta satis hoc urgent, ut me diligatis; ut verò vos inuicem diligatis, hoc expressè vobis mando, semel, iterum, & tertio, ne in hoc amore, incurij & negligentes sitis.

## PUNCTVM III.

**T**ER quoque exhortatus est Christus Dominus noster Apostolos suos, in hoc sermone, ad exercitium orationis, aperit illis fiduciam, & reliquas conditiones, quæ meriti debent illam comitari.

DIXIT ergo illis primùm, *Amen amen dico vobis: qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet, quia ego ad Patrem vado. Et quodcumq; petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam; ut glorificetur Pater in Filio: si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.*

HIS verbis nos docet, orationem cum viva fide, & certa spe in eius verbo, potentem esse ad obtinendum ab æterno Patre, & ab ipso meo Christo vires & potestatem, ad miranda opera faciendâ, ijs similia, quæ ipse in hoc mundo fecit, siue sint opera virtutis & sanctitatis, siue miracula maiora & magis stupenda quàm fuerint ipsius, si opus erit: quò autem certos nos reddat, id ita futurum, idem secundo repetit, additq; *ut glorificetur Pater in filio*, pertinere videlicet ad gloriam Patris id concedere, propter filium suum; ut intelligamus, quàm libenter id uterq; sic præstiturus.

DEIN-

I.

a Ioan. 14.

12.

De oratione

&amp; in ea con-

fidentia.



II.  
Obedientia  
cum amore  
facit oratio-  
nem exam-  
diri.

3. p. q. 21. 4.  
4.

c. Psal. 144.  
19  
d. i. Ioan. 3.  
22.

DEINDE dixit illis: *b si manserint in me & verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis, & fiet vobis.* His verbis docet nos miram efficacitatem, & connexionem orationis, cum vnitione ad Christum, per dilectionem, & obedientiam verborum ipsius. Nam in potestate voluntatis hac ratione Christo Domino coniunctæ ponitur, & velle & petere; Christus vero ipse recipit, & se obligat concedere, quod petetur. quod tamen locum habere intelligitur, cum ea vult & petit instinctu diuinæ huius vnitionis, & quod ei est consentaneum: quæ propterea nunquam plus vult, quàm velit Deus; nec petit, nisi quod eidem placet: quia non habet propriam voluntatem; sed accipit ipsam diuinam pro sua, & hanc ob causam, ait S. Thomas, semper exaudiri orationem eorum, qui hoc modo orant. O DEVS animæ meæ, concede mihi semper tecum esse coniunctum, tuæque verba & præcepta semper mihi esse coniuncta amanti illa, & ex toto corde exsequenti: certum est enim mihi, si te diligam, & tibi obediam, meæque voluntates amoris legi accommodem, posse me velle quidquid libuerit; & te daturum quidquid petiuero, complacet enim tibi gratum ei facere, qui, quod tibi gratum est, facit, iuxta illud: *c voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet,* d. & illud: quicquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata eius custodimus, & ea, quæ sunt placita coram eo facimus: Tales enim



enim sunt, qui eius voluntatem faciunt.

TERTIÒ dixit eis e *Amen amen dico vobis: si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis. Vtque modo non petistis quicquam in nomine meo: petite & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.* Quid verbis magna asseueratione & solennitate promittit, quidquid eius nomine à Patre petuerint, obtéuros; & mox illos exhortatur, vt hac promissione veantur, vt ipsa experientia deprehendant, promissionis veritatem, & soliditatem: & plenum habeant gaudium, cum viderint, eam re ipsa expletam. Ad huius promissionis præstantiam cognoscendam, perpendendum est, quisnam illam faciat, & quibus; quis illam sit completurus, & à quo id petendum; quæ petenda sint, quibus nominibus, & quo modo, & forma.

QUI promittit, est filius Dei viui, s qui vocatur *fidelis & verax*, & ipsa veritas ac sapientia infinita, qui nec decipi potest, nec vult nos decipere, nouitque optimè quid promittat, quidque implere possit, & velit, & expectat; quare omni ex parte eius promissio est certissima.

QUIBUS promissio fit sunt ipsi Christi discipuli, qui cum ipso, in cænaculo illo, Iuda exeunte, remanserant; quæ propterea iis tantum facta censetur, qui in Christum credunt, & sperant, cupiuntque eidem seruire, & vt discipuli obedire, non veidè rebellibus & obstinatis peccatoribus, qui eius scholam dese-

rentes,

III.

e Ioan. 16.  
23.

I.

f Apoc. 19. 11  
De promissione quæ nostris orationibus fit.

2.



rentes, ab ipsius obedientia se subtrahunt. Et  
 g Ioan. 9. 31. in hoc sensu cæcus ille dixit, g *scimus quia*  
 h Prov. 28. 9. *peccatores Deus non audit.* Et Sapiens dixit,  
 h *qui declinat aures suas ne audiat legem, ora-*  
*tio eius erit execrabilis:* hoc est non exaudie-  
 tur. Quamvis tamen sint peccatores, si cupi-  
 ant non esse tales, sed fieri discipuli Christi, et-  
 iam sunt promissionis huius participes, quan-  
 do admitti perunt ad eius scholam. i *Pater e-*  
 i Luc. 11. 13. *nim vester de celo,* ait ipse Christus, *dabit spi-*  
*ritum bonum petentibus se,* ut d. s. fiat esse ma-  
 lus: sed præcipuè ea promissione utuntur, qui  
*permanent in Christo, & eius verba in illa per-*  
*manent.*

3. Q V I promissionem illam implebit, & a  
 quo, ut id faciat, petendum est, ille est Pater,  
 hoc est Dominus ille, qui eminenter hoc no-  
 men meretur, & verè est Pater benevolus, so-  
 licitus, & potens dare filiis suis, quidquid ab  
 eo petuerint, idque multo præstantius cæte-  
 ris omnibus patribus terrenis: quia quidquid  
 dederit, nihil amittit, & oblectatur pluri-  
 mum, cum dat omnibus. Et propterea Chri-  
 stus ipse de eo dixit: *si vos, cum sitis mali, nostrum*  
 i Luc. 11. 13. *bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater*  
*vester, qui natura sua bonus est, de celo dabit*  
*spiritum bonum petentibus se.* Eandem pro-  
 missionem adimplebit etiam idem qui promi-  
 fit, filius Dei, qui nos adeo dilexit, ut animam  
 suam pro nobis posuerit; estque adeo libera-  
 lis, & in dando profusus, ut seipsum etiam deo;  
 adeoq; desiderat plurima nobis dare, ut man-  
 det



det nobis, ab ipso petere, quæ volumus. Ac denique ipse etiam Spiritus sanctus, qui vnus est cum Patre & Filio Deus, eandem promissionem implebit, *I qui ( vt ait Apostolus ) Rom. 8. 26 sum nos, quid oremus, sic oportet, nesciamus, ipse spiritus postulat pro nobis, nobis inspirans ea, quæ postulemus, aded propendet, ad dandum.*

**NOMINA** siue tituli, quibus petamus quæ volumus, est nomen ipsum Christi, hoc est Christi bonitas, omnes eius virtutes & merita, laboresque vitæ ac mortis ipsius, seruitia & obsequia, quæ Patri exhibuit, honor denique gloria eius, & vt eius nomen glorificetur. Non itaque in nomine meo petam, nec meæ confidens virtuti, aut meritis meis, nec ad gloriam nominis mei; sed his omnibus prætermis- sis, mihi que diffidens, Christo ipsi Domino in- nitar, & ad eius gloriam dirigam, quidquid petiuero.

**EA**, quæ promissio hæc complectitur, sunt omnia quæ decent, & conueniunt bonitati Patris, qui ea est largiturus; nomini- que & virtuti Filij, per quem illa petuntur, necessitati denique petentis, in bonum scilicet eius animæ, aut aliorum, pro quibus petitur: nullo tamen hic præfixo limite, quem ipse Christus, in sua promissione non præfigit. Ex quo efficitur, quoniam **DEVS** profusus esse vult ad dandum, me non debere esse parcum aut timidum in petendo; sed petere, sic- ut qui à liberalissimo Deo petit, & vt ipse

Chri

*I Rom. 8. 26*

4.

5.

*S. Basil. de  
constit. Mo-  
nast. c. 2.*



Christus monet, *petere*, ut gaudium nostrum sit plenum. Non inquam petendæ sunt res terrenæ, quæ plenum gaudium non adferunt; sed cœlestes, eæque, non parçè, sed in tanta copia, ut impleat nostrum gaudium, & expleant desiderium; Primùm, in temporali hac vita; & postea in æterna.

6. MODVS denique & forma petitionis, esse debet cum magna fide, & fiducia de bonitate, & liberalitate promittentis, qui & daturus est quæ petuntur; & de mediatoris meritis, per quem illa petuntur. Hæc fides illa est, de qua Christus Dominus noster, dixit apud Sanctum Marcum, *m habet fidem Dei*, fidem videlicet maximam, fidem dignam Deo, fidem altissimam, quæ, rebus omnibus terrenis reiectis, anchoras suas iaciat in cœlum, expectans à Deo, quidquid ille promisit, innitens verbo eius, ut eius est. Hæc fides est, quam alibi ipse comparat *n grano sinapis*, de quo alibi est dictum. Huic fidei coniungi debet insignis perseverantia, donec nostrum gaudium sit plenum: donec scilicet ipsa experientia advertamus, exauditos nos esse, & propterea exultemus, tanquam plenum gaudium consecuti; quod nobis contingit, cum petita dona obtinemus.

O mundi Redemptor, liberalissime in promittendo, & in reddendis promissis fidelissime, magnas tibi gratias pro liberalitate & fidelitate, quam in omnibus manifestas: Oro, Domine, supplex, gratiam mihi dari, ad petendum,

*m Marc. 11.*

*32.*

*Iacob. 1. 6.*

Postulet in fide, nihil hæsitans.

*n Matth. 17.*

*19.*

*Luc. 17. 6.*

*In 3 part*

*Medit. 46.*



dum, quod me petere iubes; & eo modo, quo  
vis à te peti, vt gaudium meum sit plenum,  
eo accepto, quod petam: gaudens quidem do-  
nis tuis; sed multò amplius tecum, illorum  
largitore: nunquam enim gaudium meum  
plenum erit, nisi te ipsum habeam, qui sum-  
mum es gaudium meum in sæcula. *Quod hu-  
ius promissionis est reliquum, in quinta parte  
ponetur.*

PUNCTVM IV.

**M**AGNAM partem sermonis sui, po-  
suit CHRISTVS Dominus noster,  
in consolandis & animandis Aposto-  
lis, ad labores & aduersitates præsentis, &  
quas postea perpassuri erant in mundo, mul-  
tis ad id adductis rationibus, quarum aliquas  
insinuabo, (licet non seruato eodem ordine)  
vt sint nobis instar punctorum ad meditan-  
dum, & causarum ad consolationem, & nos  
iplos excitandos, ad tolerandum patienter  
persecutiones, & aduersitates occurrentes.

Rationes  
consolatio-  
nis in ad-  
uersis,

**P**RI MA ratio est, propter exemplum  
eius, quod ipse Christus est passus. a *Memem-  
tote, inquit, sermonis mei, quem ego dixi vo-  
bis, non est seruus maior Domino suo, vt exem-  
ptiones & priuilegia seru<sup>9</sup> habeat, plus quàm  
eius Dominus: si me persecuti sunt, & vos  
persequentur. b Absque synagogis facient vos: b Ioan 16.2.  
sed venit hora, vt omnis, qui interficit vos, ar-  
bitretur se obsequium prestare DEO. a Sed*

**I.**  
a Ioan. 15.  
20. 21.

IV. Part. Medit. P hac



ha omnia facient vobis, propter nomen meum. O felices aduersitates, quae cum Christus est causa, & propter quas illi assimilamur. Nolo, mi Domine, priuilegium aut exemptionem à laboribus, quia enim seruus tuus sum, magno honori mihi duco, eandem subire legem, quam meus Dominus subit.

II. SECUNDA ratio fuit, nam pati persecutionem, signum & pignus quoddam est, quod illi non sint ex reprobata mundi factione, & quod consequens est, quod sint ex parte Christi, & electorum eius. c *Ioan. 15. 16* Si mundus, inquit, vos odit: scitote, quia me priorem vobis odit habuit; si de mundo fuissetis; mundus quod suum erat, diligeret: quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.

O bone I E S U, ad partes tuas ego transeo, non ad factionem mundi: & si mundus me oderit & persequetur, indignè ego exultabo; nam tu me proteges; siquidem ille, propter te, me persequitur.

III. TERTIA ratio fuit, quia huiusmodi labores & tristitiae breui conuertentur in gaudium. d *Ioan. 16. 20.* Amen amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini; sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Mulier, cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius; cum autem peperit puerum, iam non meminit pressuram propter gaudium quia filius ei est natus in mundo. Idem



verò filius, qui fuit ei causa doloris, est postea causa gaudij; dolot breui tempore duravit, gaudium longo: adeoque hoc excellit, ut dolorum partus faciat obliuisci. Ita & vos tristitiam habebitis, propter meam absentiam & mortem; sed ego resurgam, & sicut qui recens in mundo nascitur, planctum vestrum conuertam in gaudium. Graues dolores sicut parturiētis sustinebitis, legem meam prædicantes, & quod iussi, exsequentes; quia exsurgent graues aduersum vos tempestates; sed id ipsum quod vobis tristitiam adferet, occasione erit magnæ lætitiæ; quæ tristitiæ vos faciat obliuisci, propter fructum ex ea tristitia collectum: dolor breui euanesceat, gaudium erit perpetuum, quod nemo tollet a vobis.

O anima mea, ne concupiscas gaudium mundi, e cuius extrema luctus occupat; elige potius tristitiam & dolorem pro Christo: e *omne gaudium existimans in tentationes & tribulationes incidere*, quas qui amat, mox in illis magnam reperit lætitiā.

e *Prov.* 14.

13.

e *Iacob.* 1.2.

## I V.

QVARTA ratio est, quia in coelo sunt mansiones æternæ, vbi excipientur à Christo, qui hic pro eius amore patiuntur. Non turbetur, inquit, cor vestrum: creditis in Deum, & in me credite: In domo Patris mei, mansiones multæ sunt; & ego vado parare vobis locum, quem ibi estis habituri: & si abiero, & præparauero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum, ut vbi sum ego,

f *Ioan.* 14.1.

P 2

&amp; vos



*& vos sitis, mea fruente societate & gloria. O anima mea, ne conturberis aut affligaris tuis laboribus: praterit enim habitatio & figura huius mundi; veniet autem Christus ad te in hora mortis, ut præmium reddat laborum, quos in hac vita pertulisti, collocans te summo & pleno gaudio in æternis suis mansionibus.*

V.

*g Ioan. 14.  
18.28.*

*h c. 16. 16.*

QVINTA ratio, nam in medio aduersitatum huius vitæ, accedit CHRISTVS Dominus, vt nobis subueniat: ideoque illis dicit: *g non relinquam vos orphanos, sed veniam ad vos. Non turbetur cor vestrum, neque formidet: audistis, quia ego dixi vobis: vado & venio ad vos. modicum enim & iam non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me; h & ego videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.*

O Pater amantissime, qui tuos filios nunquam orphanos deseris, etiam cum ipsi te absentem existimant; quia reipsa nunquam ita abes, quin illorum bonum spectes. Cupio non turbari propter meos labores, siquidem ita breui venturus es, vt me visites, & in eis consoleris: Da mihi, Domine, gaudium internum, quod nec Dæmon, nec mundus, nec vlla creatura tollere à me possit: nam si illud gaudium verè possideo, iucundus mihi erit omnis labor.

VI.

SEXTA ratio fuit, quia quamuis aduersi-

tari-



eatibus premantur, diliguntur tamen ab æter-  
no Patre, *i quamuis*, inquit, *ego non rogarem* i Ioan. 16. 26  
*Patrem de vobis*, scitote quod ipse Pater amat  
vos, quia vos me amastis & credidistis, quia ego  
à Deo exiui. Atque si diceret: ne turbemini,  
aut timeatis: nec fiduciam animumque etiam  
in ipsi laboribus deiiciatis, quos mei causa su-  
stinere contigerit, nam signum quoddam &  
pignus sunt, quòd pater vos amet, propter  
amorem, quem ostenditis, dum causa mei pa-  
timini: quod si pater vos amat, etiam prote-  
get, & consolabitur: nam Pater adeo beneuo-  
lus & potens, non potest deesse consolationi  
filiorum. O Pater amantissime, nullam aliam  
in terra consolationem volo, nisi scire quòd  
me ames: te enim amante, nihil mihi deesse  
potest; qui non nouisti, aliquem amare, & de-  
serere.

## VII.

SEPTIMA ratio consolationis, deduci-  
tur ex certis confidentiæ pignoribus, quæ ha-  
bemus, euadendi victores de omnibus hosti-  
bus, qui nos persequuntur. ait enim: *k in mun-* k Ioan. 16. 33  
*do pressuram habebitis; sed confidite, ego vici*  
*mundum*: Quasi diceret: ego vici Dæmonem,  
huius mundi principem; vici laborum ac per-  
secutionum feritatem: vici peccatum & mor-  
tem, & in huius meæ victoriæ virtute, securè  
potestis & vos sperare victoriam; siquidem  
ego ea vobis vici, & in vobis sum etiam, pu-  
gnans ad vinceodum. *l Gratiar tibi, aterne* l 1. Cor. 15. 57  
*Pater, qui dedisti nobis victoriam per filiū tuum*  
I E S V M Christum. Cùm igitur victoria, &



eius gloria sit tua, nec dubitare volo, nec dif-  
fidere, quin illam sim obtenturus.

Medit. 17.  
22.

*Alias rationes consolatorias adhibet CHRIS-  
TUS Dominus noster, qua inmittuntur aduentus  
Spiritus sancti, quas reijcimus in quintam par-  
tem, ubi de eius aduentu agetur.*

MEDITATIO XIX.  
DE ORATIONE CHRIS-  
ti Domini nostri ad Patrem  
suum, in fine sermonis  
post coenam fa-  
cta.



HAEC oratio Christi Do-  
mini nostri, est viuum quod-  
dam & perfectissimum ex-  
emplar omnium rerum, qua  
in feruenti & alta oratione  
inueniri debent, quo ad eos,

pro quibus orandum est, & quo ad ea, qua pe-  
tenda sunt, & nomina siue titulos, qui ad ea  
obtinenda adduci possunt; ac denique, quo ad  
ordinem in his seruandum. Eam reuocabimus

S. Thom. 3. p.  
q. 21. a. 3  
Ordo seruā-  
dus in petē-  
do pro no-  
bis, & pro  
aliis.

ad tria puncta, iuxta tres eius partes: nam  
PRIMUM orauit ipse Christus, qua homo pro  
se & suis rebus; DEINDE orauit pro suis Apo-  
stolis, quos praesentes habebat, sua cura com-  
missos;